

tum, non videtur posse Ecclesiam dispensare, si quidem in aliis minoribus caeremoniis non dispensat Ecclesia propter necessitates privatas, verbi gratia, ut sine vestibus sacris, aut sine vasis sacris conficiatur; at vero si dispensaret Ecclesia cum toto regno, vel provincia, ut in una tantum specie conficeretur, hoc ipso privaret illud regnum et illam provinciam seu Ecclesiam vero sacrificio, si quidem non potest modo dari aliud sacrificium in Ecclesia præter eucharistiam; tunc autem non posset offerri sacrificium in ipsa eucharistia, quia in una tantum specie non salvatur sacrificium secundum ordinem Melchisedech, et hoc solum potest in Ecclesia: ergo idem est dispensare quod in aliquo regno, vel Ecclesia consecratur in una tantum specie, ac dispensare ut illa Ecclesia maneat sine sacrificio; remoto autem sacrificio destruitur principale fundamentum Ecclesiæ, quia ubi non est sacrificium, non datur cultus divinus secundum aliquod sacerdotium, quia sacerdotium et sacrificium dicuntur correlative, ut inquit Tridentinum sess. XXIII, cap. I. Sine cultu autem externo et religioso facto per sacerdotium, necessario destruitur lex et Ecclesia, quia ut argumentatur Paulus ad Hebræos VII: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Et ut inquit Augustinus libro XIX contra Faustum: » Nunquam homines in unum nomen religionis convenerunt, nisi sub aliquibus visibilibus signis. » Unde tunc cessavit lex antiqua, quando ablatum est iuge sacrificium; ergo totalis remotio sacrificii est destructio fundamenti Ecclesiæ, quod posset ab Ecclesia tolli si ab ipsa posset dispensari, ut eucharistia consecraretur in una tantum specie. Nec verum est, quod aliqui referunt, Innocentium VIII dispen-

sasse cum aliquo regno, ut in altera tantum specie consecratur, quod omnino falsum est, si quidem constat in illo regno (scilicet in Norvegia) posse conservari speciem vini; et ita nulla ratio talis dispensationis subsistebat, nec illius dispensationis vestigium extat apud talem nationem. Si enim multis annis ante Innocentium VIII, apud illam gentem celebrabatur in utraque specie, nec ad id deficiebat vinum, quomodo poterat tunc dispensari, cum a tempore Innocentii non minus possit portari ad illam regionem vinum, quam antea, et modo deportetur ad communem usum hominum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIII. Ad primam rationem dubitandi a principio respondetur, constare de jure divino conficiendi sub utraque specie, in illis verbis relatis: *Hoc facite in meam commemorationem*, adjuncta declaratione Concilii, quod ibi est præceptum offerendi sacrificium. Ad instantiam autem, quod etiam præcepit Christus ut sumerent omnes sub utraque specie respondetur, non præcepisse omnibus absolute, sed omnibus sacerdotibus quia præcepit illis qui tunc aderant ibi, et quos constituebat sacerdotes. Et quod ad illos tantum, et non ad omnes communicantes loqueretur Christus, constat, quia ad eosdem dixit illa verba: *Accipite et manducate; bibite ex eo omnes*: ad quos dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Testatur autem Concilio Tridentino universam Ecclesiam hoc semper intellexisse, quod in illis verbis: *Hoc facite* præcepit Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent hoc sacrificium Deo: ergo in illis verbis

loquebatur ad illos ut sacerdotes: ergo etiam in aliis, cum dicebat: *Bibite ex eo omnes*, id est, omnes sacrificantes, non omnes communicantes. Et hoc Ecclesia non dispensat, ut sacrificantes non sumant sub utraque specie.

XIV. Ad ea vero quæ obijciuntur ex facto Christi respondetur, nos non deducere istam necessitatem ex simplici et nudo facto Christi, sed ex præcepto hoc: *Hoc facite, etc.* Quod præceptum non cadit super alias circumstantias, sed super substantiam illius facti, quod designatur per pronomen hoc; non super circumstantias et modum faciendi; neque enim dixit Christus, hoc modo, vel istis circumstantiis facite; sed: *Hoc facite*; Ecclesia autem catholica, ut declaravit Concilium Tridentinum semper intellexit in illis verbis esse præceptum offerendi corpus et sanguinem sub illis speciebus; de illo autem facto Christi consecrantis panem sine calice pro duobus discipulis, res est incerta, an etiam tunc consecravit calicem, nec oppositum constat ex Scriptura; potuit enim utrumque consecrare, et solum præbere panem discipulis, ipse autem utrumque sumere, et dum daret discipulis panem, evanuit ex oculis eorum. Quod si de facto Christus calicem non consecravit, id fecit ex suprema sua potestate, etiam circa substantiam sacramentorum et sacrificii, quam tamen Ecclesiæ non dedit, ut postea ex Concilio Tridentino dicemus.

XV. Ad id vero quod dicitur, non exigi utramque speciem ex natura et institutione sacramenti, respondetur, verum id esse ex natura sacramenti præcise. Constat enim quod si de facto una tantum species consecratur, salvatur substantia sacramenti: si autem consideretur præceptum Christi adjunctum pro

celebratione hujus sacramenti in ratione sacrificii, adjuncta declaratione Ecclesiæ sic intelligentis illud præceptum, sine dubio est de jure divino consecratio utriusque speciei, quod non currit in susceptione ordinum, quia non est tale præceptum suscipiendi omnes ordines simul; imo oppositum est de præcepto Ecclesiæ, quia oportet paulatim, et cum diversa dispositione et approbatione ad istos ordines ascendere. In sacramento autem penitentiae satisfactio prout in re executum non est de necessitate sacramenti, sed propositum illius, potestque excusari aliquis ab illius impletione propter impossibilitatem, ut quando aliquis est morti vicinus; nec intervenit ibi particulare præceptum Christi, aut ratio propria sacrificii requirentis utramque speciem, sicut in celebratione hujus sacramenti. Ad locum S. Thomæ ex distinctione XI, quarto sententiarum respondetur, non dicere S. Thomam, quod consecratio utriusque speciei sit solum ex consuetudine Ecclesiæ, et non ex jure divino; sed solum dicit, quod casu quo non inveniretur utraque materia, potius deberet desistere, quam conficere præter morem Ecclesiæ in una tantum specie; ubi ly præter morem Ecclesiæ, non excludit jus divinum, sed supponit, quia iste mos Ecclesiæ ex præcepto divino est; et ita est sensus, quod præter morem Ecclesiæ a Christo institutum non licet conficere, non autem ex sola consuetudine ab Ecclesia orta.

XVI. Ad secundum medium respondetur: In primis dato quod Ecclesia, quando dispensat in voto, dispenset in aliquo jure divino ex commissione Christi, inclusa in illa universali potestate clavium: Quodcumque solveris erit solutum, non tamen potest dispensare in isto jure divino, tangente substantiam cele-

brationis sacrificii, quia potestas commissa Ecclesiæ semper intelligitur salva substantia sacramentorum. Et idem est de substantia sacrificii, ut constat ex Concilio Tridentino sess. XXI, cap. II, ubi inquit: «Declarat sancta Synodus, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaverit.» Substantia autem sacrificii etiam includitur in ista substantia sacramentorum, quia non minus pertinet ad fundamentum Ecclesiæ substantia sacrificii, quam sacramenti, cum sine sacrificio non detur sacerdotium, et sine isto non constet Ecclesia. Ostendimus autem de substantia istius sacrificii esse, ut fiat secundum ordinem Melchisedech in pane et vino, et non in altera tantum specie.

XVII. Secundo dicitur, dispensationem in voto non esse dispensationem in jure divino, vel naturali, ut expresse determinat S. Thomas, 2-2, quæst. LXXXVIII, art. X ad secundum, sed solum determinat ex parte materiæ voti, quod non obliget hic et nunc, quia si nunc voluntas attenderet, non vellet se obligare voto, et quia non potuit omnia circumspicere a principio, succurritur per potestatem Ecclesiæ, ut in ordine ad hunc casum voluntas illa voventis perinde se habeat, ac si non vovisset. Quare considerandum est, quod dupliciter potest aliquid esse de jure divino: primo, absolute et simpliciter, quia ipse Deus per seipsum imponit aliquod præceptum et obligationem, ejusque naturam et modum determinat: secundo ex suppositione, quia voluntas humana disponit materiam, et

exhibet illam; qua supposita et manente, obligat jus divinum et naturale ad implendum illam; sicut etiam stante lege humana positiva, naturali jure obligamur illi obedire, et tamen potestas humana dispensare potest in illa lege, sine hoc quod dispenset in jure naturali.

XVIII. Primo modo non est potestas in Ecclesia ad dispensandum in jure divino, quia totaliter et ex omni parte impositum est a Deo, et non potest inferior directe et per se dispensare in præcepto superioris, nisi sibi expresse fiat commissio; et cum non constet datam esse a Christo potestatem ut dispensetur in istis præceptis, quæ immediate ipse posuit, præsertim circa substantiam sacramentorum et sacrificii, non potest pontifex dispensare, ut in altera tantum specie conficiatur. At vero secundo modo potest dispensare pontifex in his, quæ dependent ex facto humano, sine hoc quod in ipso jure naturali, vel divino dispenset, quia solum operatur potestas Ecclesiæ circa illud factum humanum, quod requiritur et præsupponitur tamquam conditio, ut jus divinum vel naturale obliget, verbi gratia, præcepti lex humana ut jejunetur tali die, stante ista lege, et non dispensata, dictat jus naturale, ut observetur, quia obediendum est superioribus; sed quia lex illa humana processit a potestate et voluntate creata, quæ non potuit omnes casus prævidere, in quibus conveniret propter aliquem finem obligationem illius legis suspendere, manet potestas humana ad dispensandum illam; qua dispensatione facta, non dictat jus naturale ut obediatur illi. Eodem modo votum est quædam lex particularis, quam promittens sibi imponit, et per promissionem se obligat ipsi Deo; et stante ista promissione, nec dispensata, jus divi-

num et naturale obligat, ut impleatur; sed tamen sicut superior potest in lege a se sancita dispensare, eo quod non potuit prævidere omnes casus, in quibus convenit non uti tali lege; ita similiter potest in voto, quod est quædam lex particularis, et promissio facta a voluntate sui inferioris, qui etiam non potuit omnia prævidere. Nec dicimus nos, Ecclesiam quando dispensat, tollere ipsum votum, et obligationem ejus radicalem, sicut quando tollitur per irritationem, quæ annullat ipsum votum; sed manet vinculum et radicalis obligatio voti, suspensa tamen et impedita ejus obligatione per potestatem superiorem, quæ habet jus super voluntatem suam, et voluntatem sui inferioris in lege vel promissione quam fecit, ut tollatur, vel suspendatur. Et quando suspenditur (quod fit per dispensationem) manet lex vel votum quoad obligationem radicalem, non quoad formalem et executivam. Idem dicendum est de matrimonio rato, non consummato, quod quia solum est contractus ortus ex voluntate humana, et nondum habet consummationem suam, potest per voluntatem superioris dispensari, ne adimpleatur et obliget; non tamen posita consummatione, quia tunc esset in præjudicium ipsius matrimonii, et perpetuitatis ejus, et significationis sacramentalis jam consummatae; præter præjudicium quod inde proveniret alteri conjugii et proli.

XIX. Ad ea quæ obijciuntur ex parte aliorum sacramentorum in quibus potest aliquid Ecclesia mutare, dicimus juxta doctrinam allatam Tridentini, nihil mutare Ecclesiam quoad substantiam, sed solum quoad usum et administrationem, vel aliquam conditionem requisitam ab humana voluntate dependentem. Nam dare parvulis eucha-

ristiam, vel laicis denegare calicem, pertinet ad dispensationem et usum, non ad substantiam sacramenti. Similiter celebrantes cum episcopo non sumunt calicem, quia non sunt principales celebrantes, præsertim, quia regulariter solus episcopus consecrare solet; ipsi autem ordinati non referunt suam intentionem nisi ad verba episcopi, ut per illa fiat consecratio, quando ipse finit, non quando ipsi finiunt, si autem contingat simul cum episcopo finire, hoc rarissimum est; et ideo per se et regulariter solus episcopus præsumitur consecrare, ideoque solus utramque speciem sumit, reliqui sicut laici; et præsertim, quia in tanta multitudine ordinandorum timeri posset periculum effusionis, si omnibus exhiberetur calix. De sacramento confirmationis dicimus, episcopum de jure divino esse ordinarium ministrum illius; presbyter autem eodem jure divino est minister extraordinarius, supposita licentia et dispensatione papæ; qua supposita non est contra jus divinum quod presbyter illud sacramentum ministret.

XX. De sacramento autem matrimonii dicimus, Ecclesiam non mutasse materiam substantialiter et formaliter, sed solum apposuisse conditionem, qua constituatur vera materia, et discernatur ab ea, quæ incongrua est; nam Christus Dominus pro materia matrimonii solum designavit contractum conjugalem validum; quis autem contractus, et quando sit validus, non pertinet ad ordinationem Christi, sed ad potestatem humanam, quæ diversas condiciones, aut solemnitates potest adjicere contractibus, ut validi sint; et ideo validato contractu, remanet matrimonium; annullato vero, removetur. Sicut Christus Dominus instituit aquam pro materia

baptismi, et vinum pro calice : quæ sit autem vera aqua, et quando, vel quod sit vinum corruptum, aut verum, hoc relinquit humanæ potestati. Potest enim corrumpi aqua, et sic desinit materia baptismi ; non tamen qui aquam mutat, dicitur mutare materiam sacramentorum, sed naturas rerum.

XXI. Ad ultimum respondetur, nullam ex illis congruentiis valere. Non prima, quia nulla est regio, in qua homines possint vivere, et ad quam penetraverit prædicatio evangelii, ad quam non possit deferri vinum ex aliis partibus, saltem in modica quantitate. Et ipsa experientia docet, ad omnes regiones deferri mediantibus navigationibus. Certe nulla est regio ita frigida, ut omnino careat vino pro potu et epulis : quomodo ergo deest pro sacramento? Quod si induratur gelu, potest callidioribus pannis circumtegi calix, ne induretur vinum : neque est inconveniens, quod quando primum aliquæ regiones valde distantes detectæ sunt, quæ carebant vino, pro aliquo tempore missa non celebraretur, quousque vinum, vel etiam panis posset deportari : cum hoc sacramentum quoad sui realem sumptionem non sit de necessitate salutis.

XXII. Non obstat secunda congruentia, quia jus divinum non obligat infirmum ad communicandum nisi existente sacramento, et parato ; quod autem paratur sacramentum et consecratur, non obligat sacerdotem jus divinum nisi juxta formam et modum, quem Christus præstituit in ipsa substantia sacrificii, et juxta alios ritus et modos, quos Ecclesia decrevit pro celebratione ipsius sacramenti, et communionem infirmorum, qui pertinent ad ipsam reverentiam sacramenti, et ad ejus usum et administrationem : sicut non potest sacerdos sine ves-

tibus sacris, aut tempore nocturno, aut sine vasis sacris conficere hoc sacramentum prætextu communicandi infirmum ; sicut nec infirmo potest dari communio si sit phreneticus, aut habeat assiduam tussim, vel alium morbum in quo sit periculum vomitus, vel irreverentiæ, ut determinatur in rituali Romano Pauli V.

XXIII. Non obstat tertia congruentia : dicimus enim in die parasceves non fieri sacrificium, neque illam cæremioniam esse missam, licet aliqui oppositum sentiant, sed male, quia si esset missa, tenerentur fideles illam audire, quando dies illa cadit in festo annuntiationis ; at non tenentur, ut constat expresse ex novissima decisione cardinalium sacræ congregationis rituum februarii anni 1622, ut refert Barbosa in collectaneis, verbo annuntiatio Dominica ; et est maxime conformis ipsi juri, ut sumitur ex capite Sabbato, de consecratione dist. III, ubi dicit Innocentius I : « Quod illo biduo (scilicet feria sexta et sabbato sancto) ut traditio habet Ecclesiæ, nulla sacramenta celebrantur. » Et loquitur textus juxta antiquum ritum Ecclesiæ, quo in Sabbato sancto non fiebat sacramentum tota die usque ad noctem resurrectionis Dominicæ. Parificatur ergo parasceves cum sabbato sancto in hoc, quod nulla sacramenta celebrantur, non obstante quod fiebat illa cæremionia in feria sexta : ergo illa non est sacrificium, sicut neque in sabbato sancto dabatur : idemque aperte docet S. Thomas infra quæst. LXXXIII, art. II ad secundum comparando argumentum cum solutione.

XXIV. Non denique refert quarta congruentia, quia in illis casibus non consecratur utraque species ex impossibilitate, vel impedimento, non ex dispensatione, neque scien-

ter ; de quo est difficultas : casus enim impossibilitatis est extra legem. Et tamen tunc de facto non fit sacrificium, quomodocumque contingat unam tantum speciem consecrari, ob rationem jam dictam. In illo autem ultimo casu, si quis minaretur mortem sacerdoti si utramque speciem consecraret, dicendum est quod si id facit ante consecrationem utriusque, abstinere potest ab omni consecratione ; si autem post consecratam unam speciem minatur tyrannus mortem si consecret alteram, vel ille relinquit sacerdotem liberum et expeditum ad proferendam formam calicis, vel non ; si non relinquit, redditur impossibilis consecratio secundæ speciei, et sic non obligat ; si relinquit liberum, debet consecrare etiam cum periculo mortis ; tum, quia regulariter id fit in contemptum sacrificii et præcepti divini, et tunc obligat præceptum cum periculo mortis ; tum, quia non intervenit ibi solum præceptum affirmativum consecrandi utramque speciem, sed etiam negativum non relinquendi sacrificium imperfectum, et faciendi contra cultum et religionem, licet præcipue resplendeat præceptum affirmativum, si quidem per omissionem violatur : contra præceptum autem negativum virtualiter ibi inclusum non potest aliquis facere, etiam cum periculo vitæ, propter contemptum religionis adjunctum.

XXV. Sed quid si tyrannus post consecratum panem cogat sacerdotem consecrare calicem, ut illum effundat, et ludibrio afficiat? Tenebiturne consecrare ut sacrificium perficiatur de jure divino ; an abstinere a consecratione ne inficiatur? Respondetur teneri abstinere, si non possit defendere calicem ne arripiatur a tyranno. Ratio est, quia tunc materia consecrationis calicis

censetur deficere, non quidem physice, sed moraliter, quia deficit circumstantia debita reverentiæ, quod est moraliter deficere, quia tenemur jure divino non dare sanctum canibus, nec porcis margaritas. Cæterum isti casus sunt per accidens, et supposita impossibilitate morali vel physica, ex quibus non fit causa ad dispensationem.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia certa vel dubia consecrationis, et in qua quantitate possit fieri?

I. Circa materiam panis, dico primo : Panis triticeus ex aqua naturali et farina confectus, est materia certa hujus sacramenti. Constat hoc manifeste ; tum ex ipsa institutione Christi, qui accepit panem ad consecrandum hoc sacramentum ; tum ex definitione Ecclesiæ in Concilio Florentino in instructione Armenorum, et in Concilio Lateranensi, in capite Firmiter, de summa Trinitate ; tum ex usu et praxi Ecclesiæ generali, quæ semper adhibet pro materia hujus sacramenti panem sic confectum. Et in communi usu hominum, simpliciter et indubitanter panis sic confectus vocatur et habetur ut verus panis. Difficultas esse posset in negativa, seu exclusiva, nempe an solus panis ex tritico factus, et cum illis conditionibus, sit materia hujus sacramenti?

II. Respondeo et dico secundo : Solus panis ex tritico, et non ex alio grano confectus, est materia hujus sacramenti, et cum illis conditionibus adjunctis, ut scilicet non sit sola farina, nec massa cruda, sed igne decocta ; nec alio liquore conspersa, quam aqua naturali. De